

h. XIII, 3.

(X 1883916)



Q. D. B. V.

INNOCENTIAM  
KVNEGVNDIS,

PRAESIDE  
CONRADO SAMVELE  
SCHVRFLEISCHIO,

PUBLICE ASSERET  
M. FRIDER. GREG. LAVTENSACCVS,  
FRANCVS,

VITEMBERGAE IN SAXONIB.

A. C. dō Is cc. EID. MAI.

---

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.



INNOCENTIAM  
KNEGVNDIS

PRÆSIDIS  
CONRADUS AMVILLI

BIBLIOTHECA  
PONICKAVI

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

METRIBER GREGAVI BRASACYS

WITTEMBERGAE IN ZKONIB

A.C. 1512

PHO CHRISTIANI REYSIGII, Auct. J. Hoff





I.



Vnegundis, sive ut alii scribunt, Kunigunda, illustri loco nata, sanctitate animi, et castitate singulari, inter Augustas mulieres eluxit, et Henrico II. nupta, matrimonii fidem, integro honore, et inviolata virginitate, conservavit.

II. Vltro enim, et nemine cogente, vovit castitatem, ea mente, ut abducto a matrimonii curis animo, totam se Deo permitteret, et ritu diviniori consecraret.

III. Confirmat hoc vetus vitae Kunegundis scriptor, et tota eius vita declarat, nihil ambitioni et iactantiae tribuisse Augustam, nec diffidentia et suspicione ductam, coelibatum quasi in matrimonio elegisse.

IIII. Idem consilium, et animus Henrico Augusto fuit, pietate quadam in hanc sententiam adducto, ut non gignendis liberis, sed instituendis et locupletandis sacerdotiis, extruendisque sacris domiciliis operam daret.

V. Auctor est Ditmarus, Merseburgensis antistes,

A 2

Hen-

Henrici temporum aequalis, et auctoritate praestans, Kunegundis vitam ac valetudinem Imperatori curae fuisse, eamque itineris, quod Romam fecit, et honoris Augusti, quem ibi suscepit, sociam habuisse, *Chron. lib. VII.* a principio: *tunc* (anno M XIII.) *ab eodem* (Pontifice Ro. Benedicto VIII.) *inunctionem* (consecrationem) *et coronam* (Imperialem Langobardicam superiore anno M XIII. obtinuit, ab eoque tempore se scripsit Romanorum Regem Augustum) *cum contectali sua suscepit.* *Contectalis* est Augusta Kunegundis, quod temere aliqui refingunt, et *contoralem*, sive *conthoralem*, eius seculi vitio scribunt, ignari dictionis, et styli Ditmariani, qui eodem libro scripturae suae memor, *contectalis* vocabulum servat. Hoc magis eorum audaciam miror, qui in vita Kunegundis id sibi sumunt, et *contectalis* vocabulum, in *contectalis* locum supponunt. *Cap. I. et ibidem Iacobus Gretserus.* Contra auctoritatem codicum, et contra fidem tabularum, ab Henrico Augusto editarum, *Caritativa nostrae contectalis Chunigundae admonitione circumventi*, id est, non decepti, ut Latini vis verbi postulat, sed mediae aetatis usu, inducti et persuasi, an. M IX. Item in diplomate veteri Mulhusino, *ob interventum Cunigundae Imperatricis Augustae, contectalis videlicet nostrae*, an. M XIII. promulgato. Vnum Ditmari locum annotavit Ducangius, sed ex ipso Ditmaro, et Augusti tabulis, atque  
ex

ex scriptore vitae Meinverci, non confirmavit. Illud recte admonuit, in diplomate Henrici III. (in serie Imperatorum) pro *antectalis* vocabulo, legendum esse *contectalis*, *Ital. sacr. t. I. p. 501.*

VI. Alibi eam nuncupavit *dilectam*, et interdum quoque *dilectissimam coniugem*, et *dilectissimam contectalem Imperatricem augustam*, et honore officiiisque profecutus est: eius admonitu et rogatu sedes antistitum in Ostphalia, Vestphalia, et veteri Saxonia condidit, aut conditas instauravit, beneficiisque auxit: in Francia (ita enim in eius diplomatis, non Franciam lego) Babenbergensem Episcopum, annitente Augusta, instituit, et proventibus locupletavit. Apud Ditmarum *lib. VI. et scriptores anonymos vitarum Henrici S. et S. Kunegundis, Meinverci. Chronica, quae cum his consentiunt, omitto.*

VII. Nec vero Kunegundis a societate Henrici discessit, cum integris esset viribus, et bona valetudine uteretur. Postea vero, quam morbis tentari coepit, tranquillitati consulere voluit, et in loco sacro, atque negotiis remoto versari. Anno supra millesimum septimo decimo, haec cogitatio animum eius subiit, et voto simul se obstrinxit, ac novum religiosis ordinibus domicilium, si pristinam valetudinem reciperet, exaedificaturam se recepit, et sancte confirmavit. Anticipiti hoc eventu, Francofurto, ubi erat Imperator, abiit, et in Hessian inferiorem venit, ut Kapungi reme-

dium doloris quaereret, et consuetudine virginum sacrarum frueretur. Hanc in sententiam Ditmarus *lib. VII* scripsit. *Regina Kunegundis* (vero et pragmatico titulo, Imperatrix augusta) *a Francoforde* Francofurto, vrbe Franciae Orientalis et transrhenanae principe, ac veteri Regum Germanicorum sede) *a Caesare* (Augusto) *discedens* (non separans se ac seiungens) *cum ad locum, qui Capungum dicitur* (monasterium virginum dives quondam, et non procul Cassellis situm, aliter Caufungum, Cofungum, et Confugium scribitur) *infirmatur* (in morbum incidit, ex quo postea convaluit) *et ibi tunc domino promisit* (votum nuncupavit) *ad laudem eius unum facturum monasterium*. Deo scilicet et Ludgero sacrum, cuius secundum Deum patrocinio Augusta nitebatur.

VII. Henricus deinde Aquisgranum, atque hinc Paderbornam profectus, aliquandiu consedit ad Paderae fontes, nec magis amoenitate loci, quam colloquio Meinverci delectatus, coniugem, ex morbo resectam, accersivit, et casti in eam amoris benevolentiaeque significatione data, sermones cum ea et consilia, de rebus et rebus sacris contulit, nec multo post huius commorationis fructum antistes cepit, fundis quippe et praediis utriusque liberalitate auctus. Eodem tempore nulla ei suspicio haesit, et in Poloniam moventi aliquandiu locia, Albi ad Magdeburgum transito, Lielcam usque pervenit. Vbi Augusta, bene ei precata, refle-

reflexit iter, et reditum Augusti expectans, colloquiis consiliisque deinceps eum recreavit, maxime illis, quae ad donationes sacras pertinebant. Quare in tabulis consequentium annorum, eius praeclare meminit, et pro salute eius nunc seorsim, nunc simul et coniunctim multa liberaliter fecit, et coetibus sacris benigne imperavit, *A. M. XV. III. M. XX. et M. XX. III.* In omnibus autem, ubi occasio ei data est, testimonio laudis et tituli eam ornavit, quin et discrete affirmavit, se *duos esse in carne una*, ut veritatem matrimonii, integra virginitate, comprobaret, et eo quidem anno, quo morbi causa in Hestia secessum, et quietem sacram Cassungi Augusta captabat, *V. Ditmarus lib. VII. et diplomata in vitas Henrici et Cunegundis relata, quae edere angustius chartae spatium vetat.*

**IX.** Qui secus existimant, et Augustam in suspicionem vocant, recentiores sunt, et male operam collocant, quando actis temporum, et veritati multa, neque obscura innocentiae argumenta Kunegundim a suspicionem vindicant, natalium dignitas, genus vitae sanctissimum, ratio agendi constans, et pietas singularis, testimonia mariti augusti gravissima, quae minime dubia sunt, et publicis temporum monumentis continentur. His inductus Gottfridus Viterbiensis, non tantum coniugem, sed *coniugem virgineam* appellavit, in versibus historiae subiectis. *Chron. part. XVII.*

X. Quod

X. Quod adeo verum est, ut fidem, marito debi-  
tam, sacro otio anteponeret, neque ad virgines Deo  
consecratas, vivo Imperatore, migraret, quem de rebus  
coetui divino utilibus commonebat, et in tanta rerum,  
casuumque varietate, curas opportune leniebat. Ipse  
Augustus in tabulis, uno ante mortem anno editis, in-  
genue factus est, plurimum se uxori debere, et reputare  
*interventum dilectissimae coniugis suae Cunigun-  
dae, Imperatricis Augustae, assidue monentis, at-  
que incessabiliter sibi in memoriam reducentis, me-  
rita videlicet piorum Antistitum, quae in rem sacram  
extabant, et praemia laboris, atque officiorum remu-  
nerationem omnino requirebant.*

XI. Eiusdem rogatu Henricus Fuldae donavit fun-  
dos, praedia et silvas: quo non obscuro concordiae si-  
gno, in omnibus vitae institutis, honesta tantum, et ec-  
*clesiae* utilia spectabat, et morum similitudine, volun-  
tatisque consensione, summis eam officiis colebat, et sa-  
cris praesertim consiliis adhibebat. *In veteri Chronico,  
Rex stultorum depravatus consilio, bona diripuisse  
dicitur, et corrigendi occasione data, etiam destru-  
xisse, quae res mali exempli erat, et cura, precibus, hor-  
tatu Kunegundis emendata. Christoph. Broverus  
Fuldens. Antiq. lib. IV. an. M XIII.*

XII. Haec publice salutaria svasit, et pietate sua  
effecit Kunegundis, quippe memor humanitatis et mi-  
sericordiae, a nocendi studio, et malis artibus longissime  
abfuit,



abfuit, et dignam Augusta liberalitatem declaravit, ac suos ipsius thesauros effundere maluit, quam committere, ut patrimonia sacra Bonifacii, Martini, Mauricii, Laurentii, Liborii, sua et Augusti culpa, et negligentia deminuerentur. Loquuntur hoc *tabulae donationum*, quibus perniciem et exitium a sacerdotiis et scholis avertit.

XIII. Non temere dixerim, opes reipublicae largitione Kunegundis exhaustas, ut specie liberalitatis gloriam confectaretur. Haec enim a muliere, solum res divinas cogitante, remotissima fuit, quam modestia, et conditio sexus impediabat, ne Augusto in ordines sacros propenso repugnaret, cuius insitam in animo benignitatem, multis exemplis, et quotidiana vitae consuetudine cognorat. Tum vero praestabat, donaria inferre templis, et augere sacerdotum census, quam in epulis et theatris profundere Imperii opes. Illud certe propensum in *Episcopos* animum confirmat, quod profanos homines ac proceres, qui *ecclesias* invaderent, damno afficerent, et quoquo modo turbarent, graviter mulctandos praeciperet, poenamque irrogaret his verbis. *Si quis Ecclesiam inquietare contendat, de praediis (Ecclesiae donatis) perpetuo anathemate condemnetur. Insuper centum libras auri optimi componat, dimidietatem regiae Camerae, et reliquam partem eidem ecclesiae, quam inquietare praesumpsit.* Quae subieci, quia per paucae legum Henrici reliquiae extant, nec multae a

B

Stir-

Stirnio, quantumvis inquisiverit, afferuntur. *V. Golt-  
dast. Constit. t. I. et t. II. sed an probae omnes sint,  
diiudicare non possunt, rei diplomaticae ignari.*

XIII. Tanto autem libentius aliquos Imperii Co-  
mitatus, ut Babebergensem in Francia, Varburgensem  
in Vestphalia, et praedia in pagis et comitatibus sita,  
a iure seculi exemit, ac praesulibus et sacerdotibus do-  
navit, quanto arctius et addictius Regi tenebantur.  
Nam inaugurations Antistitum, eo imperante, au-  
spicio tantum regio peractae sunt, et Antistites ipsi sacris  
duntaxat officiis, ac quieti studuerunt, neque suae de-  
fensionis causa milites stipendiis conductos habuerunt,  
expeditionibus tamen Regum interfuerunt, et ceteris  
doctrinae ignaris, in aulae Senatu, et comitiis reipubli-  
cae, consilio praestiterunt, summaque imperii mu-  
nia obtinuerunt. Idcirco Meinvercus itinerum Hen-  
rici comes, et consilii adiutor, ac propter doctrinae  
studia, quae uterque in schola *Episcopi Hildesheimen-  
sis* absolvit, consuetudine amicitiae, et necessitudine ei  
coniunctus fuit. *V. vita Meinverci a Chr. Bro-  
vvero edita.* Hinc in Chronico veteri, quod ad res  
Henrici II. pertinet, sub annum MXXIII. legimus, *im-  
periali potestate constitutum esse Hunfridum, Ge-  
ronis Archiepiscopi Magdeburgensis, et Branda-  
gum, Arnulphi Abbatis Fuldensis successorem.*

XV. Sed redeo ad quaestionem pudicitiae Kune-  
gundis, et castitatem praestantis pietate mulieris de-  
fendo. Nam eius fidem in omnibus tabulis, quae ad

eam

eam spectant, collaudavit Augustus, cuius iudicium negligere, temerarium, testimonium reiicere, malignum videtur. Nusquam signum offensae proditum, ne suspicionis quidem vestigium in vitarum scriptoribus apparet.

XVI. Ordinar ab auctore vitae Meinverci, qui omnia, quae scripsit, accurate cognita habuit, et diligenter ponderavit. Quem Ditmaro, et scriptori Veteris Chronici, quorum silentium mihi pro falsitatis argumento est, auctoritate et antiquitate proximum subiungo. Hic sequentia tradit. *Eodem anno (MII.) novo Rege, (Henrico II. Germaniae Rege, I. Imperatore Romano) natiuitatem Laurentii in Civitate Patherbrunnensicelebrante* (anniversarium D. Laurentii sacrum festo ritu agente) *domina Chunigunda* (Regina, nondum Imperatrix) *ipsius, ut putabatur, uxor;* (iusta et legitima, matrimonio per firmissimum vinculum contracto, sed non per concubitum consummato uxor) *re autem veracastitatis aemulatione soror* (propter virginitatem mutuo consensu servatam, et in sacra militia Deo dicatam) *a Villigiso Maguntensi Archiepiscopo* (summo Germaniae Antistite, et Paderbornensis Ecclesiae metropolitano, qui Ottonis III. et Henrici II. tabulas, titulo *Archicappellani*, subscripsit, atque eo in loco ius consecrandi et coronandi, excluso Agrippinensi, habuit) *inibi regiae consecrationis dominium adinvenit.* Kunegundis a Rege marito, antea ab eodem Villigiso, Moguntiae conse-

B a

cra:

crato, quem invitavit Paderbornensis praesul Retharius, Paderbornam deducta, et solenni ritu, ut Regina Germaniae, inaugurata. *V. Adelboldus in vita Henrici S. et auctor Chronici veteris Franco Saxonici, quo series itinerum Henrici continetur.*

XVII. Hunc ducem, ut existimo, secutus, mecum sentit, et idem confirmat Conradus Urspergensis, cui suffragatur Andreas Presbyter Ratisbonensis. *Huius, inquit, Henrici (Sancti) uxor fuit S. Kunegundis, et ambo Virgines permanserunt.* in Chron. Bavar. in Henrico S. Virginem dicit, intactam, et sine concubitu coniugem, atque hoc magis Augustam a suspitione criminis adulterii liberat, cuius tanta fuit innocentiae opinio, ut a marito iamiam morituro, *Virginis* nomine appellaretur. *V. Io. Aventinus Annal. Boi. l. V.*

XVIII. Non dissentit, nedum in dubium vocat Gottfridus Viterbiensis, qui castitatem eius in summo laudis, quae virginitatem complectitur, gradu collocavit, *coniugemque virgineam* ea de causa singulari quodam, et eminenti elogio appellavit. Casta enim fuit, et casti moris severitatem ipsa sibi imperavit, approbante, et idem faciente marito Augusto, qui natura sua in hoc vitae genus propendebat, atque e vita excessurus, ad circumstantes Episcopos et propinquos pronuntiabat. *Recipite, quam mihi tradidistis, virginem vestram,* hoc est, illibata pudicitia coniugem, quam innocentia tuetur. *In Chronicis Casinensibus lib. II. c. 46.* Vbi perperam scribitur, Cunibunda. *Ex his*

*Si-*

*Sigonius et Baronius, ex utroque Jac. Gordonus.*

XIX. Qui secus putant, et adulterii delatam, suspicionem a se amovisse, atque in carbonibus incensis inambulantiem, more illorum temporum, defendisse castitatem, tradunt, pro sensu partium dubie et dissimiliter scribunt. Quidam Babenbergae, multi Paderbornae id accidisse, narrant, et magno numero auctores afferunt, quorum praesidio se munire possint. Illud certe conspirantibus sententiis affirmant, in *iudicio Dei*, quod vocabant, exploratam esse Kunegundis innocentiam, cum illaesis pedibus, vomeres incensos ambulasset, eoque modo integritatem sexus comprobasset. Legitur hoc apud auctorem Vitae Henrici S. *cap. XXI. et apud auctorem vitae Kunegundis cap. II.*

XX. Quando is vero scriptor vixerit, et quo loco habendus sit, diligentius inspiciamus. Haud dubie unus et idem utriusque vitae scriptor fuit Nonnosius, cuius nolo aspernari diligentiam, sed post centum et triginta annos hanc scribendi viam ingressus, non perinde omnia expendit et selegit, neque, ut par erat, ad iudicium revocavit. Hunc secuti recentiores, creduli magis, quam rerum periti homines, de via incaute deflexerunt, atque hi etiam in diversas partes abierunt: aliqui eorum commemorarunt, Kunegundim per vomeres igni calefactos, aliqui, pauciores tamen, ab ea portatos ferunt. *In his numerandus est Albertus Cranzius, lib. IV. Saxoniae cap. 32. Non calcasse, ut ex eo Cranzii loco refert Io. Frid. Pseffinger Inst. iur. publ. lib. I. tit. 5. Quamvis ille sui oblitus eo inclinet in metropoli lib. III. cap. 5. Ceteri Nonnosium monachum sequuti sunt, Auctor Compilationis Chronologicae, apud Ioannem Pistorium: Theodoricus Engelbusius, qui per XV. vomeres ignitos se purgasse Augustam scribit, in Chronico, ex variis scriptoribus compilato. Sex ignitos fuisse putat Kranzius, in Metropol. H. Mutius Chron. lib. XIV. Ioannes Cuspinianus in Henrico II. Martinus Hoff-*

AKT 1710

tisque regiis in conspectu Artistitum, et sacrarum Virginum depositis, omni dignitate se abdicavit. Tum Dei famulam Kaufungi se professa, et sacris Vestalibus ascripta, atque inter eas assidue versata, omne tempus in piis exercitationibus consumpsit, neque Imperatricis Augustae titulo deinceps usa est, et prodito castitatis modestiaeque singularis exemplo, illibatam virginitatem coelo intulit: deinde corpus Babenbergam devectum, et prope maritum, a quo ne mortua quidem Augusta se iungi voluit, in summo vrbis templo, quod attributis ex dote sumptibus ornaverat, conditum, ac ritu solenni cohonestatum fuit. *Auctor Vitae Kunegundis cap. XV. et epistola, quam ad Confugientem Congregationem Augusta scripsit. ibidem cap. IIX. Hermannus Contractus Chron. an. 1038. Lambertus Aschafnaburgensis an. 1033. Rationes Hermannii vero propiores sunt, sed perturbatae erunt, si Hepidannum, qui mortem Henrici in annum MXXX. reuocat, sequamur. Ex huius enim morte tempus mortis Augustae Kunegundis constituendum est, quippe quae quindecim annis marito superstes fuit. Proxime ab Hermanno abest Tritheimius in Chron. Hirsaug. anno MXXXVII. Longius recessit Lambertus, cetera prudens et ingenuus scriptor. Neque accuratior est Geographia eorum, qui apud Burckhardum Badeburg, pro Babenberga legunt, cap. IV. de Sangall. Monast. Turbam recentiorum non moror, qui Gronam, sive Gruonam, ubi Kunegundis Henricum moriturum postremo allocuta est, in Groninga apud Halberstadium quaerunt, quos scire oportuit, sitam esse apud Visurgim. Dubitat Phil. Labbeus, affirmat, sed vehementer errat Calvisius, quem plerique alii, novissime Io. Ludovicus Gottfridus, in Chron. bistor. sequuntur. Nihil rectius opinantur, qui Bambergae mortuum tradunt, inter hos Paulus Praetorius, et in Laurembergii continuatione Martnaccius: ante hos, Vir extra controversiam doctus, David Chytraeus in Chronologia. Caesar Baronius locum mortis praeterit, et Adalberonem pro Adelboldo nominat, quem Sigebertus Adelbodum, secus atque putavit Baronius, nominavit. Ad extremum Illustris Annalium Conditor scriptorem vitae Kunegundis evoluit, sed parum accurate ex illo conficere studuit, Augustam ignitos vomeres illaesis manibus, (pedibus scribere debuit) contrectasse. Annal. t. XI. an. 1024. Eiusdem sententiae fuit Philippus Brientius, et Baronii vestigiis insistere voluit, in Annal. Mundi an. 1024. Summatim hic legendi, atque ad alios scriptores exigendi sunt auctores vitae Kunegundis, et Henrici S. Surianus, Canisianus, Gretserianus, et Brovverianus auctor vitae Meinverci, item auctores vitarum Bernardi, Godehardi, et aliorum, in primis Chronicorum, Saxonici veteris, et Hildesheimensis.*

••(o)••

